



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

VII. Ex libris Regum quaedam manarunt Ethnicorum fabulae & ritus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

gem divinis honoribus suo ævo profecutos esse Damascenos narrat Josephus: Azelum Justinus Historicus appellat. Salmanafaris præterea in Syriam expeditio, Phœnicum Annalibus continebatur. Sennacheribi mentio extat apud Herodotum; extabat & apud Berofum & Demetrium. Nabuchodonofori meminerant ex Actis Tyriorum, Megasthenes, Abydenus, Berofus, Diocles, Philostratus, & ex Megasthene Strabo; victoriæ, quam Necofus Ægyptiorum rex retulit de Judeis, Herodotus; Evilmerodachi, Abydenus & Berofus; Baladani Babyloniorum regis, Berofus. Ex quibus cum pulchre intelligeret Julianus Apostata, quam integra esse librorum Regum fides, mirificum ignem, quo Eliæ holocaustum absumtum est, de cælo missum esse negare non est ausus. Hæc Ethnicorum Scriptorum, cum Mythicorum, tum Historicorum consensio cum libris Regum, si aliis argumentis à nobis supra allatis adjungatur, resque spectetur bona fide, horum antiquitas & auctoritas claris indicis demonstratæ agnoscentur.

V. Ex incerta, & ut fronte apparet falsa annorum computatione his in Libris posita, causam eorum carpenti petit Theologo-Politicus ratiocinator. Nam cum sexto capite libri Regum prioris legamus Salomonem quadringentesimo & octogesimo anno post exitum Ebræorum ex Ægypto, Templi molitionem inchoasse, & longe tamen major numerus exurgat ex collectione annorum quos singulis Ebræorum Judicibus & Regibus Scriptura sacra tribuit, hinc fidem ipsis derogare conatur. Ita nempe librorum oscitantiam & supinitatem Scriptoribus ipsis sacris tribuit: nam qui in historiarum lectione paulo diligentius sunt subacti, frequentissimos in numerorum notis errores esse sciunt: ut si abjiciendi libri justa hæc habeatur causa, maxima jam inde Historicorum & Chronologorum pars repudianda sit. Huc adde nodum hunc ipsum, cui inhaeret Adversarius, doctorum Interpretum disputationibus jamdiu esse solutum: quas quoniam ad trutinam nostram revocare, supervacaneæ esset ac longioris operæ, & ab instituto nostro diversæ, otiosum illuc amandabimus Lectorem, si quem Disputatoris nostri movent convitia.

VI. Pari exceptione retundimus telum alterum, quod idem proculd ex eorum discrepantia Librorum in computatione annorum Regum Juda & Regum Israël: nam vel mendæ irrepserunt in numerorum notas, vel Chronologorum & Interpretum studio jampridem tricæ illæ discussæ sunt, vel discuti certe facile possunt. Exemplo sit hoc ipsum quod proponit. Primo capite Libri secundi Regum legimus Joramum, filium Achabi, regem Israël, regnum esse auspicatum anno secundo Jorami, ejus qui Josaphati filius fuit, & Rex Judæ: cum capite libri ejusdem octavo is ipse Joramus, Josaphati filius, Rex Judæ, regnum inchoasse dicatur anno quinto Jorami regis Israël. Quibus adde, scriptum esse initio capitis tertii, Joramum Israël Regem regni initium summisisse ab anno decimo octavo Josaphati regis Judæ. Hæc quantumvis dissona conciliabuntur, si Josaphatum ponamus per annos viginti & duos regnum obtinuisse, nam annorum illorum numerus non constat inter Chronologos; in regni vero societatem ascivisse Joramum filium anno regni sui decimo septimo; at Joramum Israël regem regnare cœpisse decimo octavo anno regni Josaphati: ita cadet annus ille primus regni Jorami regis Israël in secundum Jorami regis Judæ; defuncto vero Josaphato anno regni sui vicefimo secundo, Joramus filius regnum Judæ capesset solus anno quinto regni Jorami regis Israël. Hoc exemplum valere debet ad alia ejusmodi confutanda argumenta, quæ ex chronologicarum computationum ambagibus oriri solent. Cujusmodi & illud est quod Scriptor idem arcessit ex repugnantia Chronologiæ librorum Regum cum illa Paralipomenon.

VII. Porro quum res his Libris descriptæ, longe magis innotuissent propter novitatem ac pleræque superiorum, proptereaque minus haberent auctoritatis in vulgus, hinc parum idoneæ ab Ethnicis habitæ sunt, ex quibus confingerentur fabulæ, aut ritus arcesserentur. Ex igne tamen de cælo precibus Eliæ lapsò propagata credi possunt similium miraculorum figmenta pleraque, & pervulgata inter præcos Ethnicos opinio, sæpe flammam sacrificia sponte sua corripuisse, atque eo læta omnia & fausta portendi solere. Hinc Virgilius in Pharmaceutria:

*Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse.*

Hinc idem de suis ignibus prædicarunt alii, quos supra commemoravimus. Quorum tamen originem per me referre licet, si quis malit, ad ignem, qui egressus à Domino hoc est, ut habet Machabaicus alter, de cælo, devoravit holocaustum Mosis; quemque ad Salomonem usque perseverasse traditur in Thalmudico libro Zebachim; aut ad ignem qui Angeli nutu ascendit de petra, & carnes azymosque panes Gedeonis consumpsit;

Meg. Abyd.
Ber. Diocl.
Phil. apud Jos.
Ant. 1. 10. c. 11.
& contr. Ap. 1.
1. & Euseb.
Præp. 1. 10.
Strab. 1. 15.
Her. 1. 2. c. 159.
Abyd. apud
Eul. Præp. 1. 9.
c. 41.
Ber. apud Jos.
contr. Ap. 1. 1.
& Ant. 1. 10. c. 3.
Jul. apud Cyr.
libr. 10. contr.
Jul.

*Refelluntur
argumenta
Adversario-
rum. Pri-
mum argu-
mentum.*
Tract. Theol.
cap. 9.

*Secundum ar-
gumentum.*

2. Reg. 1. 17.

2. Reg. 8. 16.

2. Reg. 3. 10.

*Ex libris
Regum qua-
dam mana-
runt Ethni-
corum fabula
& ritus.*

Lev. 9. 24.

2. Mach. 2. 10.

Zebach. cap.
6.

Judic. 6. 21.

1. Par. 21. 26.
2. Par. 7. 1.

Siphra, Part.
נִפְרָי cap. 5.
5. 15.
Zac. in libr.
Iuchafin.
Iom. cap. 1.
Laniad. in 1.
Reg. 9. 1.

2. Reg. 4. 4.

aut ad eum qui Davidis Holocausta & Pacifica hausit, cum Deo sacra faceret in area Ornan Jebusai, aut ad cœlestes illas flammās, quibus Salomonis victima cremata sunt in Encænīs Templi, quas à Manasse demum extinctas fuisse docet liber memoratus Zebachim; at liber Siphra & R. Abraham Zacuth, alique Rabbini, à Chaldeis, cum Templum vastatum est, quasque perhibet liber alter Thalmodicus Joma, Leonis figuram gessisse, cum ignis Templi secundi Cani similis fuerit; quod legas etiam in libro cui titulus Pomum & flos, & passim apud Rabbinos: cumque R. Samuel Laniado formam Canis eas fuisse scribat, quotiescunque peccati alicujus se Israëlita alligassent. Quæ ineptiæ sunt Doctorum illorum. Ex raptu Elia in cœlum probabile est commentos fuisse Indos Bremavium suum in cœlum fuisse asportatum. Transiit quoque ad finitimas Asiæ gentes mos quarto libri secundi Regum capite notatus, liberorum à parentibus in nexum creditoribus tradendorum, ab illis ad Athenienses, hinc ad Romanos.

DE LIBRIS PARALIPOMENON.

I. Disputatur de Auctore librorum Paralipomenon. Variæ opiniones proponuntur. Incertus est eorum Auctor: etas assignatur. II. Probatum eorum antiquitas & ætas. III. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. IV. Secundum argumentum. V. Tertium argumentum.

Disputatur
de Auctore
librorum Pa-
ralipomenon.
Variæ opinio-
nes proponun-
tur. Incertus
est eorum
Auctor: etas
assignatur.
Thalmod. Bib.
barr. cap. 1.
2. Par. 35. 25.

Grot. ina. Par.
36. 21.

I. **E**SDRAM libros Paralipomenon lucubrassē, Ebræorum est omnium fama consentiens. Operas quoque suas Nehemiam contulisse volunt Thalmodistæ. Rem Christiani Interpretes relinquunt in dubio. Ego vero existimo collectum esse hoc opus, non ex Actis solum diurnis, sed & ex Prophetarum Semeiæ, Ado, Jehu, Nathanis, Abiæ, Ithaiæ, aliorumque scriptionibus; fortasse & ex libris quibusdam genealogiarum, ut tradit R. Selomoh; necnon & ex Scripturæ sacræ Libris antea scriptis, ut R. Mosēs Kimchi. Post Jeremiam constat esse Librum ostendunt ista ex tricesimo quinto capite libri secundi: *Univerfus Juda & Jerusalem luxerunt eum, (Josiam) Jeremias maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices usque in presentem diem Lamentationes super Josiam replicant; & quasi Lex obtinuit in Israël: Ecce scriptum fertur in Lamentationibus.* Post solutos quoque Babylonica captivitate Israëlitas, Libros Paralipomenon esse compositos, argumento est finis scriptionis, qui redditam Ebræis per Cyrum libertatem fuisse narrat. Præterea cum hic ipse Libri finis repetatur *וְאַחֲרָיִם* initio libri Esdræ, hinc effici videtur unius esse utrumque & ejusdem Scriptoris, qui pro suo jure ad historiarum suarum contendam seriem verba ipse sua usurpaverit, perinde ut à vetustis quibusdam Scriporibus factum Grotius observavit. Initium autem libri Esdræ incerti esse Auctoris ostendam inferius, qui Darium Hystaspiden regnantem viderit, & ad Artaxerxis usque Longimani ætatem vitam suam prorogaverit. Ergo & Auctor libri Paralipomenon incertus est; etas vero in Darii Hystaspidæ & Artaxerxis Longimani tempora incidit. Nos igitur hac in parte discendum ab Ebræis, qua libros Paralipomenon post librum Esdræ scriptos opinantur, ac istum illosque Esdram habere Auctorem; quod eatenus verum est, quatenus eos digessit Esdras, & sex priora Libri sibi cognominis capita subnexuit, quæ & deinde continuavit. Porro etsi libri Regum & Paralipomenon iisdem circiter videantur elaborati temporibus, minime tamen existimo designari libros Paralipomenon his verbis, quæ sæpe occurrunt in libris Regum: *Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Juda? & Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Israël?* nam & ea quoque frequenter reperias in libris Paralipomenon. His autem significantur Acta illa diurna accurate ab Ebræis condita, unde librorum Regum & Paralipomenon sumpta est materia. Propius id accedit ad verisimilitudinem, quam quod statuit Hieronymus in Præfatione ad Domnionem & Rogatianum, & libros Paralipomenon esse intelligendos, si quando hæc in libris Regum leguntur: *Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Juda? & si res his locis indicatae minime occurrant in Paralipomenis, tum esse ἀλλογενῶς exponendas: Sed & ipsæ appellationes, inquit, non homines, ut plerique existimant, sed urbes, & saltus, & provincias sonant, & oblique sub interpretatione & figura eorum quadam narrantur historiae, de quibus in Regum libro dicitur: Nonne ecce hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Juda? quæ utique in nostris Codicibus non habentur. Id si recipimus, sane omnia reperientur in omnibus, & magna*